

curi deliramenta refert, & jurè, Rhodigin. 24. 12. & cap. 13. dixisse: *Ea magnitudine esse Solem, qua videtur: . . . astra verò quum oriuntur accendi, quum occidunt, extingui: perinde ac si quis dixerit, quum homines conspiciuntur, nasci: & quum non videntur, mori.* Solem quotidie interire, & rursus accendi ex ipso crediderunt olim Hispani, ut ait Cleomedes in *Epicur. lib. 2.* refert Delr. in *Thyest. Senec. v. 818.* ex eoque dicebat patere; quia dum mergitur in oceanum, sonum edere ferri candentis in aqua. Unde Satyricus, 14. v. 280. ait:

Juvenal. *Audit Herculeo stridentem gurgite Solem.* Error etiam Stoicorum fuit, ex mari Solem accendi, & ali; inquit Plutarch. de *Isid. & Osirid.*

Amor & Anteros. 16. Etiam hac die dicata Athenis statua Amoris & Anterotis. *K. Græc.* sita fuit in Achademia. Pausan. *cap. 29.* causam innuit, quam videlicet. *Capido palmae termitem manibus tenet: eum illi Anteros de manibus extorquere conatur.* Haud aliter pinxit Oth. Vænius, *Emblem. Amor. 6.* & utrique Fortuna degustare præbebat de melle & absynthio, ut canit *Emblem. 7.*

Oth. *Fortuna en geminis cyatho dat amoribus uno,*
Væn. *Intermixta sua dulcia amara vice.* Sic celebrata concordia inter Amicos, ita ut mutua sit redamatio. Unde cum militiæ species amor sit, quia deflorescit sine jurgijs; dicit idem, *Emblem. 5.*
Sume meas, summam ipse tuas, mea vita, sagittas:

Idem. *Non aliter noster conciliatur amor.*

Amor minus. Hinc quousque natus Anteros, Amori non erant Gratia, fugerantque Charites. *In corde amanti nascitur amor* (ait Achill. Bocch. *Symbol. 80.*) non crescit, ni ametur invicem. Necessarium speculum ut se respiciat. Tunc habet gratiam: quæ omnino inanis, si loco Anterotis sufficitur species deformis ingrati tudinis; quam quidem depingit Jacob. Boissard. *Emblem. 33.* in effundente aquam in cribro: quod etsi fundantur flumina, tota per foramina effluent. Dixerat Theocrit. *Edyl. 16. v. 104.* & Dausq. in *Q. Smyrn. 5.* *Homer. Paralip. v. 72.* Vividius Achill. Bocch. *Symbol. 6.* ubi foemina retorquet, quas acceperat ab amore sagittas, etiam videns in adorationem genuflexum amorem. Haud debet esse amor fortunæ mancipium; ut Ægyptæ colebatur. Pausan. *cap. 234.* Constans debet esse, firmataque pendet ex Anterote contra securim absentia in cunctis fortunæ prosperæ aut sinistrae articulis: quapropter ejus imago in foemina, radijs illustrata divina forni, capite detecto, & fron-

te aperta, togâ lacerâ, nudo pectore, indice cor demonstrante. Videlicet expositio nem, 29. *Mart. n. 12.*

17. Inter Ægyptios sacra Æternitas, cui comes Numen Demogorgon. *Diar. Ægypt. Æternitas jungebatur immortalitati.* Quare cum Jovis majestas celebraretur, ut videbimus, 1. *Maij n. 12.* & *Isagog. Octobr. n. 21.* similiter eternitas cum immortalitate plaudebatur. Est ergo vitæ immobilis status præfens; sive duratio tota simul, quæ principium & finem non habet, immo nec habere potest: cui necquicquam futuri abest, neque præteriti fluit. Hermes Trifinogistus in *Pimandr.* delirat, sicut Plato in *Phædon.* à veritate aberrat. Nec eternitatem nec tempus intellexerunt: dum voluerunt tempus eternitatis speculum facere; eternitatem tanquam tempus constituerunt: at ut canit Claudian. 2. *Silic. v. 424.*
Est ignota procul, nostraque impervia menti. Illam ergo hîc describit in spelunca vallata serpente. Ante fores *Natura* sedet, cui assistit *Tempus*, utrique occurrente Phœbo; ut tempore, naturæ arcana patefiant. Signa Temporis canities, Naturæ verò plures infantes, pro quorum consistentia, plura atque plena habet ubera. Æternitatem colorat Chartar. de *Imagin. pag. 19.* specie matronæ stantis, pilam dextrâ tenentis, amiculo à capite humerorum tenuis amicta. Apud Hemelarium, de *Numismat. Tabul. 21.* Dea Æternitas exprimitur foemina pulchra, dextrâ Solis, sinistra Lunæ capita præferens. Ferè idem, *Tabul. 25.* quod Æternitas effigiatur velato capite, dextrâ manu caput virile, Solis radijs distinctum, sinistra verò muliebre cum Luna gerens; ad pedesque ara cum foco. Denique *Tabul. 41.* in signum Æternitatis Phœbi pingitur imago radiati, dextram attollentis, & sphaeram sinistra librantis. Pier. Valer. 44. *cap. 17.* exhibet simulacrum, quod lavâ pallam sustinet, dextrâ aviculam cum Luna.

18. Alij Æternitatem vocarunt Amorem, Deorum primum & primum; à quo universa: quapropter in medio serpentis, cujus forma adinstar annuli, vel circuli, collocarunt. Hor. Apoll. 1. *Symbol. 1.* Pier. Valer. 14. *cap. 4.* Macrobi. 1. *Saturnal. cap. 9.* Unde Oth. Væn. d. *Emblem. 1.* succinit:
Annulus hic anguisque tibi curvatus in orbem,
Temporis æterni signa vetusta notant. Eodem stylo usus est Lucret. 3. de *Rer. nat. v. 976.* & 1077. Demogorgon ergo (quem Plato, d. vocat *Demiurgum*) pingebatur, juxta Chartar. d. *pag. 18.* pallidus, sub-

Epicuri sententia de Sole & astris.
Amor & Anteros.
Imagines.
Oth.
Væn.
Idem.
Amor minus.
Imagines in gratitudinis.
Amicitia imago.

Sacra eternitati.
Claudian.
Imagines eternitatis.
Amor æternus.
Oth. Væn.
Demiurgus, Demogorgon.

DIES XXI. JANUAR.

fubobscurus, vallatus nebulis, atque in centro terræ quasi in throno situs, quem Æternitas affectabatur. Idem Boccac. 1. *Genealog. Deor. cap. 2.* Hoc Numen dictum *Demiurgus*, quali naturæ opifex, univerforum conditor. Rhodigin. 1. *cap. 5.* quem fas non erat nominare, ut ex eodem Boccacio observat Alapid. in *Exodum, 6. 1. quest. 1.* quod si quis temerè auderet, terra concutiebatur, tremebantque orbis columnæ, quali solo nomine Numen offensum. Lucan. *Pharsal. 6. à v. 744.*
Quo nunquam terra vocato,
Lucan. *Non concussa tremis: qui Gorgona cernit aper-*
tam,
Verberibusque; suis trepidam castigat Erinynn. Ubi Screvel. Scholiastes subdit: *Demogorgon, sive Demiurgus, Deus Summus, omnium rerum creator; cujus nomen arcanum & ineffabile inter cetera Deorum nomina citare, nefas; nisi summa urgente necessitate.* Statius, 4. *Thebaid. à v. 519.* accinit ex Tirelia: *Scimus enim, & quicquid dici, noscique timetis,*
Et triplicis mundi summum; quem scire, nefastum:
Illum sed taceo, prohibet tranquilla senectus. Videlicet hic Lactant. sive Coelum Planiadem, qui asserit fatidicam Nympham coactam nomen enunciare; & fecit in aure tauri, qui nominis virtute crepuit statim.

19. Inter eternitatis imagines, seu potius symbola seu hieroglyphica, fuit figura circuli seu sphaeræ, super quam uti Dea foemina florens sedebat, dextrâ exporrectâ, lemnaque Æternitas. Aliàs ipsa Dea summis lavæ digitis palam tollit, dextrâ sphaerulam ostendit; ut signaret cæca vetustas; maximè è schola Peripathetica (quia mundus figurâ sphaericâ) ab æterno fuisse mundum. Romani vocarunt *Durationem*, & *Perpetuitatem*; eandem sphaericâ figurâ, cui Caduceum Mercurij, & pharetram jungebant, simulque palliolum appensum virgæ, quam dextrâ imago ferebat. Pier. Valer. *lib. 39. cap. 16.* A Joann. Hemelar. d. eternitatis exhibetur simulacrum in Æthiopo sedente super elephantem, dextrâ bina jacula vibrante. *Tabul. 41.* qui *Tabul. 26.* Æternitatem exponit in statua habitu Divæ, sedentis curru triumphali, quasi in pompam, elephantis phaleratis vectæ, aurigantibus Æthiopibus. Alia 29.
Mart. n. 9.

Ejus nomen ineffabile.
Lucan.
Statius.
Imagines Eternitatis & Perpetuitatis.

1. **G** Radus 1. Solis in Aquario, ejusque prima Decuria, cujus facies Venus, index anxietatis, lucri, inquietudinis & paupertatis: Rector Brondeus. Abenragel. Apud Ægyptios Aquarius dicitur *Canopus*, Numen seu Genius aquæ subterraneæ pro telluris foecunditate, cujus imago hydria, seu amphora cum capite humano, & corpus plenum uberibus; ut videbimus 28. *April.* Hic gradus putealis dicitur à Darioto, quia infelix facies Veneris in hoc signo, cujus imago juxta Kircher. Vir nudus sub forma currentis extentis manibus. Hinc Jovian. 5. de *Reb. celest. cap. 2.* ait: *Venus mare in Aquario: cujus influxus natis oriente signo describit in Uran. lib. 3.*
Quicumque oriens orientis Aquarij
Felices radios & amicos viderit ignes;
Ille bonas artes solers tractabit, opesque
Inde parans, dabit & multis alimenta mini-
stris,
Et multos parto pascet, magnoque favore
Junget amicitias primorum ex urbe virorum. Pontan. *Munera quin etiam scriptis commissa tabellis,*
Sive Deum in Templis, & sacra negotia cu-
rans,
Sentiet invidia vulnus, liventiaque arma.
Perdet opes, parva amittet, que viribus usus,
Ingenijque bonis, facili ratione repenset. Sphaerarum varia sunt symbola. *Vir ambabus manibus singulas aves tenens.* Sphaer. Arab. *Caput ense manu gestantis.* Caput ejus, qui est in capite nigro, & piscatur pisces. Sphaer. Pers. *Æthiops faber ararius.* Sphaer. Indic. *Finis cauda Urse Minoris, pes Gallina, caput Equi prioris tergus & cauda Capricorni.* Sphaer. Ægypt. addit Stephan. Ægyptius: *Vir cum galero, cujus corpus mammis referunt.* Nihil aliud significat nisi Canopum, ut diximus in imagine. *Aquarius totus emergit: Africus spirat & pluit.* Ptolem. *Canopus dictus astrum lucidissimum ingens, primæ magnitudinis in flumine coelesti, Europæis incognitum, propter vicinitatem ad polium Antarcticum; de quo Plin. lib. 2. cap. 70.* Kirch. *Tom. 1. Oedip. Copr. Syntagm. 3. cap. 7.* & Nos *Isagog. Maij, n. 20.* In hoc primo Aquarij decano, juxta Albumasar oritur Pantha, caputque trahentis equum, cui nomen *Domus Delos*, sinistra manu super caput suum elevata. Tum jam ales capite nigro, pisces ex aquis rapiens. Juxta Indos vir formæ Æthiopis, rapete circum-

XII.K.
Canopus.
Pontan.
Sphaera.
Canopi imago.



cumvolutus, vasa aenea ad extrahendum aurum, vinum & aquam. Etiam a Graecis dicitur, in hoc decano oriri cauda Minoris Urse, dextra Cephei, pes Gallinae sinister. A Junctino K. A. signatur postremum fusionis Aquarii, cum ortu Leporis. Idem Alstedius in Uranom. Firmicus vero d. cap. 29. natos in hoc gradu constituit potentes, sed in aquis perituros.

2 Apud Hebraeos hac die, ut observat Goriouid. quod pridie, profectus est Eliezer in Mesopotamiam pro conjugē Isaacō sanguine Thare. Etiam post 97. ann. juxta Sahan. & Briet. hic etiam signatur dies, quo industria matris Jacob furatus est benedictionem Isaac, & factus successor, cum esset minor, tam quoad fortunas, quam quoad sacerdotium, impleto Dei verbo, factō Rebecce pregnantī. Reuclin. ex Gen. 25. 23. & 27. 14. Dixi etiam Quoad sacerdotium, quia vestes sacrae quae ex pellibus vestitus Adam, ut videbimus, 25. Mart. n. 2. successivē traditae Primogenitis, servato semper odore, a paradiso contracto, quarum virtus erat, ut illis conspectis mansuescerent bestiae, vel truculentissimae. Rabboth in Parafcha Tholdorb. quidem nugatur praeter ceteris: ait enim, haec vestes venisse in manus Nemrod, quem occidit Esau, tradiditque matri Rebeccae servandas, & illa superimpoluit Jacob, ut a patre benedictionem surriperet. Tuncque vestibus restitutus est odor Paradisi, quem amiserant sub Esau, redolentes hircum. Alia videtur apud Braun. compilatorem hujusmodi ineptiarum, de Vestitu Sacerd. Hebraeor. 1. p. cap. 4. a n. 6. Ab hoc articulo Ann. 268. qui fuit primus exitus Israel de servitute Aegyptiaca perfectum fuit Altare Thymiamatis. Rab. Abraham, in Myrthe fasciad. astruit hac die Theatrum & Amphitheatrum cum ludis athleticis & musicis in honorem Augusti in ipsis Hierosolymis; quae egrē tulerunt Judaei, potissimē trophaea, quae hominum dicebant imagines, quorum furorē Herodes compescuit joco. Cuncta describit Josephus, 15. Antiq. cap. 11. Athletica certamina in honorem Caesaris instituit, theatro Hierosolymis extructo, deinde in campo amphitheatrum, utrumque sumptuoso opere conspicuum, sed alienum a Judaicis moribus, apud quos nulla spectaculorum ostentatio. Theatrum ipsum per circuitum titulis erat ornatum Caesaris & trophaeis devictarum ab illo gentium, atro atque argento collucentibus, conquisitis etiam feris plurimis, leonibus ceterisque robore spectandis, vel aliquo natura miraculo. Nihil tam molestum fuit, quam trophaea. Etiam si reliqua omnia ferre oporteat, non

Jacob surripit benedictionem ab Isaac.

ancinon

Altere incensu perficitur.

Certamina athletica ab Herode in Augusti honorem.

laturos se, dicebant, intra urbem hominum imagines. Sic trophaea vocabant. Herodes vero videns eos turbatos, & sine satisfactione non facile cessuros, accitis ad se praecipuis ex illo numero, & in theatrum adductis, rogabat eos, ostensis trophaeis, quidnam hoc esse putarent? cumque reclamassent, hominum esse imagines; jubet detrahi ornatum apposititium, & ostendit nudos stipites: quo facto, in risum vertit indignationem conceptam ex suspitione imaginum. Totus Herodis conatus reddere Judaeos Ethnicis moribus Romanorum in Augusti Caesaris gratiam, ornata urbe theatro, amphitheatro, circo syrtisque in exercitium athletarum, ut sensim traherentur Judaei mulcimine spectaculorum: quandoquidem ibi spectacula erant luctatorum, gladiatorum, & belluarum, modò inter se, modò cum damnatis hominibus decertantium; ut describit Adrich. in Jerusol. n. 28. 112. & 146. ex Joseph. 6. de Bell. cap. 6-15. Antiq. a cap. 9. Ann. 31. Christi, dies quintusdecimus ejus facri jejunij.

3 Romae die secundo post Urbis obsidionem a Porfenna, rege Hetruscorum, Tarquinos in Urbem reducere tentante; C. Mutius Scaevola, pro rege, regis scribam gladio perfodit, & coram Porfenna, quia aberravit ictu, igne arae manum combulsit. Tit. Liv. lib. 2. sect. 38. Plutarch. in Poplicol. Valer. Max. lib. 3. cap. 3. Senec. Epist. 24. 66. 98. de Provid. cap. 3. & 7. de Benef. cap. 14. ubi: Mutij manus in hostili ara relicta instar occisi Porfenna fuit: & semper contra fortunam luctata virtus, etiam citra effectum propositi operis, enituit. Appositè Martial. 1. Epigram. 28.

Si non errasset, fecerat illa minus. Hinc illi statua erecta, cujus imago imponentis nudam manum super aram ardentem, & pugionem. Petra-Sanct. lib. 6. de Symbol. heroic. cap. 13. Vide Plutarch. de Fortun. Romanor. Briet. V. C. ann. 247. Petav. 1. p. Rationar. lib. 3. cap. 4. & Claudian. 1. in Eutrop. v. 445. Paves C. Mutio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mutia prava appellata. Tit. Liv. d. sect. 41. Anno V. C. 477. Sextilia Virgo Vestalis damnata incesti, viva defossa est. Prad. in Parerg. ex Liv. 14. in Epitom. Haud qui eam defenderet, habuit: quapropter testimonijs convicta, in feretro viva imposta, ac per forum deportata usque ad portam Colanam, comitante populo, & Pontificibus veste sacerdotali, spoliatque prius monilibus sacris & virtus, appo-

Animus Herodis athenus.

Dies XV. jejunij Christi.

Scaevole facinus.

Martial.

Statua & munita.

Sextilia Vestalis.

appositisque ante eam lucernam ardente, pane, lacte & oleo, stratoque lectulo, vinculis jam soluta, sed capite velato, in foveam demissa, suffocata fuit: caverna enim tellure repleta est usque ad operculum, illa suffossa manente in exemplum ceterarum. Resp. Rom. pag. 151. & Pomp. Lat. 2. cap. 6. Ejus incesti causa gravidae mulieres immituros edebant foetus, etiam peste defaeviente in animalia: luesque cessavit, dum Sextilia poenas luit. Briet. Ann. 481. A Tiraquello in Alex. Neapol. 5. cap. 13. vocatur Oppia: sed fallitur: Videtur, 6. Februar. n. 9.

4 Triumphus Emilij Pauli de Poenis, ex Corfurensibus (Goltz in Fasi. pag. 90.) infelici cujus reditu horribile naufragium militum totiusque classis in freto inter Rheginum & Messanam, ducentis octoginta quatuor navibus amissis: ita ut ab urbe Camarina Pachynum usque, litus hominum jumentorumque cadaveribus, & quallatarum navium fragmentis sterneretur. Briet. V. C. Ann. 499. de quo pridie n. 14. Statua C. Menio super columnam erecta, devictis praecipuis Latinis. Plin. lib. 34. cap. 5. ubi Dalecamp. Decretus triumphus: additum honori, ut in foro statua erigeretur, quam impositam fuisse columnae, Plinius hic monstrat. Liv. lib. 8. sect. 39. infit: Additus triumpho honos, ut statua equestres (rara illa aetate res) in foro ponerentur. Statuae equestres tunc tantum concessae eis, vel qui uno equo hostes vicerat, vel qui equos vicisset, qui ab uno feiōre agitabantur. Dalecamp. d. Restitutioni Ciceronis in urbem expeditur a Senatu decretum, adniventibus T. Annio Milone, Pompejo, & Cornel. Lentulo. Sicque Tullius non tam ab exilio patriam reductus, quam totius Italiae humeris relatus. Prius in somnijs ipse viderat. Inimicorum conspiratione urbe pulsus M. Cicero, cum in villa quadam (inquit Valer. Max. 1. cap. 7. n. 5.) diversaretur, animo in somnum profuso; per loca deserta & invias regiones vaganti, sibi C. Marium consulatum ornatum insignibus, putavit obvium factum, & interrogantem eum, quid ita tam tristi vultu, incerto itinere ferretur? Audiro deinde casu, quo consistebatur, comprehendisse dextram suam, ac se proximo lictori in monumentum ipsius deducendum; quod diceret, ibi esse ei laxiorem staturam spem repositam. Nec aliter evenit: nam in aede Jovis Mariana Senatusconsultum de reditu ejus factum. Ipse Cicero. pro Planc. & 1. de Divinat. & Rosin. 2. cap. 5. hosque sequitur Marlian. cap. 87. & in Epitom. 5. cap. 15. Eodem die victoria insignis Caesaris de Belgis, ac fi-

Triumphus Emilij Pauli.

Et C. Menij cum statua equestri.

Cicero vocatur ab exilio.

Victoria Caesaris de Belgis.

nitimis populis. Goltz. in co. Ex eis (inquit Turiell. ann. V. C. 697.) tantum auri collegit; ut haberet, unde emeret Romam; cujus libertatem minus arma, quam pecunia evertit. Aurum dispersit, ut erarium expilaret.

5 Inter Atticos sacra Sabazia, seu potius execranda, utpotè silentio digna. Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere; uti ajebat Paulus, Ephes. 5. 12. Fiebant in Jovis honorem, qui acceptus à Proserpina filia specie draconis: qua de causa horum qui initiabantur serpens mittebatur in sinum. Meurf. Graec. fer. lib. 7. Describit Clemens Alexandr. Non ridicula mysteria? Uterum quidem (ait in Protrept.) genuit Ceres, nutritur autem Proserpina. Rursus autem hic Jupiter qui genuit, coit cum Proserpina sua filia post matrem Cererem, oblivis prioris sceleris. Pater & corruptor puella Jupiter & coit factus draco, convictus quisnam esset. Sabaziorum certe mysteriorum signum est ijs qui initiantur, Deus qui sinum pervadit. Est autem is draco: is dum extrahitur per sinum eorum qui initiantur, est evidens argumentum Jovis incontinentia. Idem dicit & illustrat Gentianus hic, addens, ritum significare, hoc sine modo natum esse Sabazium, Dionysium, seu Zagraem. Arnob. lib. 5. contr. Gent. & Diodor. Sicul. lib. 3. a n. 137. Vives cunctos sequitur in lib. 7. Civit. cap. 20. excepto, quod Proserpina, puellam dicit Persephatem, de qua asserit, quod Clemens qui infit: Parit autem Proserpina filium taurinam specie. Certè ait quidam Poeta, cultui idolorum deditus: Taurus pater draconis & draco pater tauri. Hujus fabula diem festum mulieres variè concelebrant. Binatrem hunc Deum vocarunt, non quod duas haberit; sed quod cum mater arisset, ex igne surreptus, Jovis femori fuerit affutus. Natal. Com. 5. Mytholog. cap. 13. & Ovid. 3. Metamorph. fab. 3. cum Manil. 2. Astron. cap. 1. v. 17.

Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum. Pridem Orpheus Hymno, 49. qui 44. & 47. dicit: O Bacche, tauri frontem habens! Fili Sabazi, inlyte demon, insue femori. Quapropter dictus Dionysius, quia cornibus pupugit femur Jovis, dum nasceretur. Natal. Com. d. At Nonnus 9. Dionys. a v. 21. refert, dictum Dionysium, quia Jupiter claudus incedebat, cum illum portaret femori affutum.

Hinc Bacchum patris illum de nomine dixit, Mox Dionysium, quod gestans haec pondera tanta

Poplite claudos ijs Saturnius ipse gravato. Namque Syracusij soliti sunt dicere Nysum,

Sabazia.

Bacchus Sabazius & Zagraem.

Manil.

Dionysius.

Nonnus.

Claudam. Hic assutus, nuper natusque vocatus.

6 Ridenda profecto Ethnicorum cæcitas, quam aggravabant figmenta Poetarum, plaudentium quæ somniant, & ornantium quæ ridebant. Sub titulo Primogeniti (& jure, igitur simili modo nunquam natus est homo) plaudit Dionysium Magus insignis Orpheus, Hymn. 29. in quod comminicitur singularem metamorphosim, Hymn. 5. Pende griphum.

Primogenitus, Orgeus, Phænacia.

Primogenitum voco biforem, magnum in athere errantem,

Ex ovo genitum, aureis gaudentem alis, Tauri clamorem habentem, genus beatorum mortaliumque hominum.

Orpheus. Quique memorandum Orgium invenit Pæan; Inenarrabilem, occultam, sonantem, ubique lucecentem ramum

Oculorum qui tenebrosam excussisti nubem, quod versum

Volutus alarum incitantis, per mundam Emicantem ducens lucem puram, à qua te Phænæa voco.

Hinc patet, quàm delirus. Ejus metamorphoses describit Nonnus, d. lib. 36. à v. 302. quem videris, si vacat. Ampliora in ejus natali, 4. August. Frequenter ne caderet honor fœminarum (ferentium in utero facilitatis insigne) Dijs olim illarum attributi fortis: non solumque Dijs; sed sub forma draconis, modo evaderent viri magni. De Alexandro Magno, inquit Justin. lib. 11. Mater ejus Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingenis magnitudinis concepit: igitur Alexander cupiens originem divinitatis acquirere, simul & matrem insaniam liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum Ammonis, statim antistes, ut Ammonis filium salutavit: ille letus Dei adoptione, hoc se patre censei jubet. Eadem apud Plutarch. in Alexandr. Q. Curt. lib. 4. cap. 7. Freinshem. & Blancard. hic: embolium fatanæ videbimus ad ejus generationem. April. die 6. Inolevit hujusmodi fatuitas etiam inter Romanos: unde P. Scipionem, filium draconis dixerunt. Aul. Gell. fusc. lib. 7. cap. 1. de quo Nos 26. Mart. à n. 16. Idem de Augusto, ut videbimus 30. Novembr. Lulit Sidon. Apollinar. Carm. 2. à v. 121. Magnus Alexander, necnon Augustus, habentur

Viri magni dicebantur concepti à Dijs sub draconis specie.

Concepti serpente Deo; Phœbumque Jovemque Divisere sibi: namque horum quesivit unus Cynisâ sub Syrte patrem: maculis genitricis Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

Sidon. Ap.

Idem Ælian. 1. Histor. var. cap. 25. Verum, quod Servius ad illud Virgil. 6. Æneid. v. 321. Deum certissima proles; inquit: Multi ad gloriam nominis signant, seu potius simulant se Numinum filios, ut Romulus ex Marte, Alexander ex Jove. De Alexandro dicit etiam Gellius loc. cit. & lib. 13. cap. 4. Quæ quidem mania ita inter primates fœminas serpfit; ut propter istiusmodi gloriolam, amplecterentur infamiam; uti asserit Sext. Aurel. Victor in Epitom. de Galerio: Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis, compressam dracone senet concepit. Ita ex dracone Bacchus, unde Sabazia; ut accinit Nonnus, 6. Dionys. à vers. 158. Ipsa sacra & ritus imitationis ipsus, quibus Sabazi nomen est (inquit Arnob. d.) testimonia esse poterunt veritati; in quibus aureis coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus. Jul. Firmic. Marten. de Error. profan. Religion. Macrobi. 1. Saturnal. cap. 18. Ludov. Carrio de Emendation. lib. 2. cap. ult. Aristophan. in Vespis. & Dempster. in Rosin. lib. 2. cap. 11. Quid in hujusmodi sacris; claret ex inhibitione, & à populo impudico. Novos Deos & in his colendis nocturnas pervigilationes Aristophanes Poeta veteris comœdia vexat. Apud eum Sabazius & quidam alij Dijs, peregrini judicati, è civitate eiciantur. Ita Cicero, 2. de Legib. Hac in die, ut vidimus pridie, num. 10. singularia privilegia, ab ipsisque summe optata, Alexander Magnus, Jerusalem ingressus, regiæque habitus, Judæis pridem insensis, liberalissimè concessit, ac multos ex illis in militiam admittit. Josephus, 11. Antiquit. cap. 8. Petri. Comest. in Esch. cap. 4. & Adrichom. in Chronic.

Alexander Magnus Judæos honorat.

7 Chalcedonij cujuscunque mensis viginti primam diem funestam & portentotam habuere, quod illà Darij Præfectus Pharnabazus ipsorum pueros castravit, & in Persidem mittit. Alex. Neapol. lib. 4. cap. 20. ex Plutarch. in Alcibiade. & Nonnius in Asia Minor. Goltz. Tabul. 5. Vid. 21. Septemb. n. 5. Epicuri natalis, quem Athenæus lib. 7. signat die 25. Plin. lib. 35. cap. 2. die 20. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 19. At hodie præfigitur à Briet. V. C. Ann. 413. Sectatores feriatos dies quolibet mente habebant, queis natale celebrabant, dicebantque scad. in honorem magistri: quem quidem tam sanctè habuerunt; ut illius imaginem non solum annulis, sed etiam poculis ferrent inculptam. Vultus Epicuri per cubicula gestant, & circumferunt secum (ait Plin. d.) natali ejus vigesima Luna sacrificant,

Teader ejus.

DIES XXII. JANUAR.

cant, feriasque omni mense custodiunt, quas Ictadas vocant, hi maxime, qui viventes se nec quidem nosci volunt. Felicitatis omen arbitrabatur illius imaginis gestationem. Dalecamp. hic. Unde Seneca, Epist. 64. Quidni ego (ait) magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Diximus aliqua, Prolog. §. 8. n. 19. Laert. 10. de Vir. Philosoph. succinit:

Laert.

Hoc moriens charis Epicurus dicit amicis: Dogmatis o memores usque valete mei. De dogmatibus variè judicium AA. & Ethnicorum & Catholicorum. Vide Expositores in Act. Apost. 17. 18. Ex Seneca usquequaque, Laert. in ejus Vir. & maxime ex Epicuri scriptis, claret voluptatis potissimus fautor; sed ejus, quæ percipitur animo conscientia pura, & vitâ quoad alios sine querela: verum impuri discipuli ad turpes sensibiles voluptates stolidè transfulerunt.

Diana Bubasta.

8 Apud Ægyptios Sacra Diane Bubaste. Constat, falli Juvenalem, dum dicit Satyr. 15. v. 8. Oppida Canem venerantur, nemo Dianam. Utrumque Numen colebant Ægyptij: unde Bubasti ubi templum insigne Dianæ, ut ait Herodotus lib. 2. n. 17. etiam simulacrum Anubis, specie canis sistrum tenentis. Mirum non est (inquit Kircher. in templ. Isiac. cap. 4.) canem ibi loco Numinis habitum, cum Diana venatrix sit. Ibi præfectura Ægypti, quam civitatem olim Gessen dictam, autumat Abenephius cum alijs; ad cujus templum quotannis peregrinabantur Aves, relinquentes ibi unum ex ovis testâ insigne. Kircher. d. Ibi etiam Osiris & Isis colebantur sub forma boum (unde nomen, Sebastus) quorum unus Apis Memphis, alter Mnevis ab Heliopolitis dictus, qui simul Ægyptijs apparuere juxta Nilum. Isis comes signatur ab Ovid. 9. Metam. fab. 12. dicente: Cum qua latrator Anubis. Sanctaque Bubastis. At pro ipsa Diana accipitur sub titulo Isis ab Herodoto, d. de qua in columna templi scriptum, refert Diodor. Sicul. 1. n. 9. Ego Isis sum Ægypti regina, à Mercurio erudita: quæ legibus statui, nullus solvet: uxor Osiridis, Florimater, frugum inventrix, in Astro Canis refulgens, Bubasta condita mihi. Gaude Ægypte, me nuristi. Raphaël Regius in loc. citat. Ovid. Dempster. in Rosin. lib. 2. cap. 7. Kircher. Tom. 1. Oedip. Syntagm. 3. cap. 4. & Gyrald. Syntagm. 12. num. 50.

Boves Ægyptij.

Vid. 7. Decembr. & d. seq. num. 7.

Tituli Isis, seu Diana.

Titulus Isis, seu Diana.

Tom. I. Ephem.

1 Gradus secundus Solis in Aquario. XI. K. F. Tenebrosus. Dariot. hic gradus in horoscopo facit pictores & artifices, qui pacificè morientur. Firmic. Aquila volans vesperè occidit. Junctin. Kalend. Astrolog. Fidula oritur vesperino cum Cancro. Columell. & Ptolom. occidit, & vesperè pluit. Nicol. Leonie. ex ipsis. Vir ambabus manibus caput suum tenens. Sph. Arab. Traduntur Moyse perfectè cortinæ Tabernaculi tam internæ, quàm externæ. Aben-Ezr. Describuntur, Exod. 26. à 1. & 36. à 8. Postquam Herodes Româ redijt Hierosolimam purgatâ accusatione Antipatri filij coram Augusto, in hujus honorem inter portam auream & speciosam, ut describit Adrichom. in Jerusalem. n. 102. dedicavit donum pretiosum, Aquilam scilicet auream magni ponderis. Quidam juvenes scholam frequentantes Rabbitorum, Judæ nempè & Mathiæ (qui tunc ab illo Pontifex summus) interpretum patriæ legis, illorum instantiâ, claro meridie detractam è base Aquilam, securibus consciderunt, inspectante congregatâ in templum multitudine. Quadraginta ex his comprehensi sunt, cum facinoris auctoribus Judæ & Mathiæ à præfatore aulæ regiæ, quos perduxit ad Herodem. Vincos hic Hierichuntem misit, questus de Judæorum ingratitude; cum ipse solus instaurasset templum, & nimis in ejus studiis set ornatum, operâ & opere munifico, quale per totum tempus nullus Assamonæorum illustrium Regum valuit ad honorem Dei perficere; donatis votivis muneribus tam speciosæ structuræ dignissimis. Tunc Mathiæ ademit sacerdotium, quasi non alieno ab hoc consilio. Alij Mathiam auctorem facinoris scribam dicunt, non summum sacerdotem: maxime narrare Josepho, 17. Antiquit. cap. 8. Herodes post multatum Mathiam sacerdotio, alterum Mathiam seditionis auctorem, ejusque socios vivos exussit. Addit, lib. 1. de Bell. cap. 31. Reliquos qui una comprehensi sunt, obruncandos carnificibus tradidit. Quid post Herodis obitum regnante filio Archelao contigerit in die Paschat, dicemus ex ipso, lib. 2. cap. 1. de Bell. 14. Martij. n. 16. Anno 31. Christi, dies decimus sextus ejus sacri jejunii.

Cortina Tabernaculi perfectæ.

Statua aurea in templo.

Dies XVII. jejunijs Christi.

Scipionis Æmilianij obiit.

2 Romæ Mors inopina Scipionis Minoris, qui dictus Æmilianus. Beyerl. Haud decepsit sine suspitione veneni, quod ei miscuerat Sempronius uxor ejus, & Gracchorum